




1
6
118








A I

VII
VOETS

Ex legato Dnd. Equitis Antonii
Francisci de Marmis



S. HENRICVS BAVARIÆ DVX ET IMPERATOR.

TRAGI-COMOEDIA

EXHIBITA TVNGRIS
A Studiosis Collegij DD. Canonicorum Regularium S. Augustini, Ludis Encœnialibus Idibus Septembris 1627.

Directore IOANNE VOETS *Tungrensi Canonico Regulari.*


AD ILLVSTRISSIMVM COMITEM De Riuiere, Heere, &c.





LEODII,
Excudebat Leonardus Streel Typogr. iuratus.
M. D. C. XXVII.

Superiorum permissu.





ILLVSTRISSIMO

HENRICO

COMITI DE RIVIERE, HEERE;

DOMINO IN HORPMAEL,

Iesseren, VVemertingen, &c.



HAnc de Sanctissimo Cæsare Henrico Patrono Tuo, COMES ILLVSTRISSIME, Tragicomediam S.E. oblaturus venio, tùm quòd illius nomen refers, cùm quòd ea S. E. & viris nobilissimis, quos eadem adduxerat, aliisque spectatoribus omnibus, dum nuper à Iuuentute nostra ludis Encenialibus exhiberetur ita placuisset, vt summo omnium plausu exciperetur, & ab omnibus prælo digna iudicaretur. Nunquam ea mens mihi virium mearum probè gnaro fuerat, vt inter tot huius sæculi doctissimos lucem videret viros, vt nec ea mihi mens tot dignitatibus fulgenti COMITI, tantoque Heroï tam exiguum munus exhibere, nisi plurimorum Spectatorū

quibus actio placuerat acclamationibus persuasum mihi fuisset S. E. exoptasse vt hæc qualiscumque publicum typis commissa videret. Accipe igitur, GENEROSISSIME COMES, hanc Henrici Sanctissimi Cæsaris Patroni tui, cuius & nomen refers, vitam hanc primam terrestrem, mortem etiam, ac tandem vitam illam alteram eamq́ue cælestem, quam sicut ipse cum sanctissima coniuge sua, post omnia pietatis & charitatis in omnes exercita officia consequutus est, ita vt & Tu cum Consorte per sanctissimi Spiritus gratiā possitis adipisci IESVM Christum redemptorem nostrum, cuius Natalitia nunc Christiani colimus, flexis rogo genibus.

Illustriß. Generosissimæq;
S. E.

deuotiss.

IOANNES VOETS *Canonicus*
Regularis.

AD EVNDEM
Echo congratulans.

ADsint sint *Musæ, citharas aptentq́ue sonoras,*
Oras *Tungrorum mox petite* ite *rogo:*
Laudandus laudi dandus *per metra sororum*
En præsens Præses *qui celebreris*, eris:
Flate modis, odis; *applaudite*, plaudite *versu*
Stemma tuum Claræ Ter Generose Rosæ.
Non referã innumerûm numerum, *& facta* acta *virorũ,*
Quos dedit edit *Stirps Celsa Riuire*, vire!
Solemni resonat, sonat *illam Belgica laude:*
Aude *in perpetuum Stirps celebrata*, rata!
Illustris lustris, *non osa*, annosa *Propago,*
Quæ superas super has, *quas stupet Aula Domos.*
Fonte venis è venis *Tu Comitumq́ue Ducumque*,
Ducuntque *hos celebres Archotis Arua viros.*
Conspicio io *præfert* fert *quæ Insignia* signa,
Lilia conspicuo florida flore tria.
Qui sic? sic. *Effloret!* floret *nobile Stemma*,
Et virtus vt thus *spirat odore procul.*
Ac pietate pia ætate *est armatus* amatus,
Hinc eius mores, vita parata, rata.


ECHO.

Cur plura exornant, ornant *Te Lilia? Quod Te*
Virtutum Tutum *gloria tradit? Adit.*
Lilium vt in riguo irriguo *præ flore refulget,*
Re fulget *laté* à Te *tibi vita* & ita.
Insuper en video vi ideo *Tibi serta micare,*
A re *dignum cui Regia serta micent!*
Verè è re! *emerito* meritò *das Cæsaris Aula,*
Vt Comitis mitis *fit tibi dictus honos.*
Quidquid amat, id amat, *virtute notabilis ætas,*
Vita in Te quidquid splendida quærit, erit.
Ergo bene, ô bene! *fundat* dat *Tibi Cæsar honores,*
O res! *hinc canimus Io Riuire* vire.

Gratulationis ergo accinebat

I. V. C. R. T.






AD LECTOREM.


VT verum fatear, Candide Lector, cùm primũ huius Tragicomediæ Scenas contexerem, non ea vnquam mihi fuit intentio illam typis edendi: nam totus in eo eram vt versus redderem faciles, verbis maximè & sensu obuiis, sepositâ omni Poëticarum vocum farragine, quo citius iuuenum memoria retinerentur, recitarentur affectuosius, faciliùs perciperentur. Aduerti enim sæpe tum aliorum, tum propriâ edoctus experientiâ, quo magis Pieridum fontes sapiunt carmina, eò difficiliora reddi discentibus, recitari sine gestuum & verborum affectu (quippe à tyronibus non ita intelliguntur) audiri à plerisque sine intellectu, nec enim primo conceptu, ob figurarum verborumq; obscuriorem stilum, percipiuntur. Quantum ad historiæ veritatem, ea habetur apud Bellarminũ Cardinalem De officio Principis Christiani. Nos illam desumsimus ex antiquißimo libro Anonymo, qui putatur esse Adelboldi, de quo Sigebertus. Obiit autem Sanctus Imperator Henricus Anno Domini 1024. cùm vixisset annos 52. regnasset annos 24. & Imperasset decem. Ita Bellarminus. Vale beneuole Lector, & libelli tenuitatem excuses.



EGERVNT IN HAC TRAGICO-moedia Ingenui Adolescentes Collegij Tungrensis apud Regulares.



Godefridus Nicolarts Tũgrensis.
Ioannes Moers Tungrensis.
Henricus Pex Tungrensis.
Henricus Castart Tungrensis.
Philippus Foumael Burdensis.
Wilhelmus Moers Tungrensis.
Hermãnus Danen ex Tungerlãt.
Robertus Bellefroy Tungrensis.
Nicolaus Scronx Tungrensis.
Arnoldus Collinet Tungrensis.
Ioannes Leonarts Tungrensis.
Petrus Mesen Tung.
Arnoldus Melon Villariensis.
Wilhelmus Spavven Tung.
Iacobus Iadoul Tung.
Matthias Nicolarts Tung.
Cornelius Schaetsen Tung.
Cornelius Hinesdael Lossensis.
Christianus Peumans Tung.
Erasmus Danielis Tung.
Ioannes Timmermans Trudon.
Wilhelmus Peusens Tung.
Ioannes Stocx Tung.
Wilhelmus Milesen ex Tũgerlãt.
Hieronymus Vinquedes Tung.
Henricus Pex Tung.
Georgius Ioannes Mettecouen Trudonensis.
Gerardus Minyoe Oumaliensis.
Ægidius Moers Tung.
Leonardus Vander Meer Tung.
Michael Wilbaerts ex Iesseren.
Wilhelmus Pex Tungrensis.
Wilhelmus Vaes Tung.
Petrus Preal ex Warfuseez.
Philippus vanden Reydt Tung.
Gerardus Mossis Tung.
Ægidius Scrupkin Tung.
Richardus Davvans Tung.
Ioannes Gontis Tung.



Prologus.

BAVARIA.



Votquot comprendit latè Germania fines,
Præ reliquis meritò fœlix Boiaria iactor.
Non ego progeniem Gentis, non priſtina ſtirpis
Orſa petam memores hominum ſuperantia ſenſus:
Non Reges numero; non Martis bellica facta,
Quæ multis geßit Boiorum Natio Regnis.
HENRICVM *ſolum noſtrum decus omne referre*
Sufficiet; cuius ſe longius ardua virtus
Extendens, ſibi perpetuum molita decorem,
Boiorum minimè terris contenta manebat;
Sed procul Heſperias, per Germanas procul oras
Hoſtes quotquot erant Fidei deuicit, & illis
Numinis vnius fecit venerabile Nomen.
Egregiam ſanctis virtutem prætulit actis,
Exemplar reliquisq; fuit: non iuſtior illo,
Non clarus pietate magis, non caſtior alter.
Quàm benè Cæſareo ornauit pia tempora ſerto
Tarpæius Præſul, terras plaudente per omnes
Chriſtiadum turbâ! fortis nam Cæſaris enſis

Iustitiæ fideiq; tenax, non limina mundi
Duntaxat fœdâ purgauit sorde Deorum,
Quin Stygis ense sacro iacuit deuicta potestas.
Prô lætare Polo Cæsar! lætare triumphans!
Et Virgo lætare Polo, & sine sanguine Martyr!
Hæc tria te triplici quondam diademate cinctum
Terris, in cælis triplici diademate cingunt.
Ergo nostra petunt Bauarûm Sanctißime Cæsar,
Vota precum te nostra petunt; fac Numine Diuûm
Et meritis protecta tuis lætanter in æuum
Virtutum vigeat renitens Boiaria flore.
Et quicunque tuum deuotâ mente iuuamen
Optant, effectum precibus lætentur adesse.

ACTVS PRIMVS.

SCENA PRIMA.

HENRICVS DVX, COMES PALATINVS CVM FILIA KVNIGVNDA, WILGISVS EPISCOPVS MOguntinus cum suis Nobilibus & Seruis.

Henr. *OPtatam dudum Phœbus rutilante quadrigâ*
Duxit ab axe diẽ, quâ te Clarißime Princeps
Cum Gnatâ Illustri præsentem cernimus esse
Nobilibusq; viris. Ad vos ea nuntia misi
Dignentur nostri fines accedere Regni,
Vt scirem qualis vobis formata voluntas.
Nam postquam Bauarûm Dominum mors inuida patrem

Sustu-

Sustulit è medio, soli mihi sceptra regenda
Linquuntur. Scitis mihi quàm Prouincia grandis
Et populosa subest: lata vt confinia Regni
Et Proauûm iactet Germania nobile stemma.
Verum, ne quoquam careat solamine vita
Tot grauibus Regni curis stringentibus illam,
Consortem lateris Gnatam Comes inclyte vestram
Exopto; mecum est gratè victura iugali
Iuncta thoro, Bauarûm Regni sociataq; sceptris.
Comes Pal. *Lætamur meritò nobis, quòd contigit illa*
Sors generosa thori, quâ patre superstite Gnata
Tam claro est iungenda viro, quem præter auitam
Progeniem nitidus virtutum splendor adornat.
Non reprobare licet, sed nec fas esse putamus
Nostrorum quemquam vestris obstare rogatis.
Quid sentis Kunigundis? Quid charissima Gnata
Dicis? An HENRICVM *contenta tenere maritum?*
Kunigund. *Optime mi Genitor, iustò mihi gratulor inde,*
Dux tam præclarus mea quòd connubia poscat.
Ast sincera loquor, nunquam fuit illa voluntas
Chare Pater cuiquam nuptam me tradere sponsam;
Sed castos habitare Lares: verùm mihi mores
Et vitæ probitas HENRICI *cognita planè.*
Quamuis coniugij nobis mens vna fuisset,
Ac vllum mihi velle virum, per limina mundi

HENRICO nullus potuisset gratior esse.
Sæpè eius mecum vitam mirabar & actus
Castos atque pios. Quid ni mihi gratuler illud,
Collaudemq́ꝫ Deum, quem nec sperare liceret
In thalami socium mihi nunc offerrier vltrò?
Quare velle meum subiectum est velle Parentis;
Quod mandas, gratum est, & factu sentio dignum.
Comes. Illud Gnata probo. Tibi Dux HENRICE perennem
Hanc sponsam tribuo, Cæli Dominumq́ꝫ rogamus,
Præbeat in terris fœlicem ducere vitam,
Nestoreosq́ꝫ dies fato claudente, beatæ
Cum Superis sedes vobis per sæcula dentur.
Henric. Hanc simul in sponsam duco, Bauarûmque Ducissam
Constituo, mecum populorum Regna regentem.
Comes. Coniugibus gaudens acclamet vocibus Aula:
Io HENRICVS cum KVNIGVNDÂ coniuge viuat!
Aula. Io HENRICVS cum KVNIGVNDÂ coniuge viuat!
Henric. Quæ clangore sonus aures mihi buccina replet?
Quis fragor ille tubæ? Citiùs scrutare minister.
Wilg. Inclyte Dux salue: votis concordibus vnà
Cuncti Primores Regni tibi iura dederunt,
Et Romanorum Regis te nomine dici:
Quod Maiestati vestræ vnâ voce precantur
Imperij Satrapæ fœlix faustumq́ꝫ per æuum.
Henric. Præclari Proceres, cùm sit Diuina voluntas
Me

Me (licet indignum) tanto donare decore,
Et vos concordes pariter venistis in vnum
Coniunctis animis vestrum me dicere Regem;
Sumo libens, nullo præ fastu mente superbâ
Inflatus; verùm Scripturæ dicta secutus,
Esse potestatem quamquam de Sidere missam,
Ac illam sperare licet, modò recta voluntas
Propria communi patriæ non commoda præfert,
Sed Regni pacem, Dominiq; procuret honorem.
Ergo tremens titulos Regales sumo, precando
Vt Dominus seruo prosper dignetur adesse
Omnibus in rebus. Grates vobisq; rependo.
Wilg. *Hunc hunc laudo animum: sic Illustrißime Regum*
In cunctis summum Patrem conare fauentem
Reddere: blanditias reprobes, miserûmq; patronus
Fac maneas: nec da vitiorum suasibus aures,
Ne te corrumpat regalis gloria luxu,
Hoc nam Regnorum præceps solet esse ruina.
Hæc dico, non quod dubitem, cuius scio semper
In solos Superos sinceram tendere mentem,
Et Patriæ spectare bonum: tu fidus amator
Iustitiæ, & Christi fidei tutela futurus.
Quid ni lætanter Germania tota resultet
Diuinum inuenisse virum, cui Regia sceptra
Laudandi vitæ mores conferre probarent?

Nunc

Nunc igitur venerabundus, quoque poplite flexo
Dic ſacramentum fidei: mihi nomine Regni
Iurabis Christi fidei ſeruire fidelè,
Et ſacræ nunquam legi contrarius eſſe.
Henric. *Is meus eſt animus veſtris parere libenter*
Mandatis. Ter magne Deus, qui dirigis actus
Et Regum ſenſus: cuius veneranda poteſtas
Omnia Regna tenet mundi ſubiecta, precantem
Aſpice me famulum, & Diuino Numine noſtris
Adſpira votis, auram largire benignam.
Iuro me fidei ſemper ſacra iura tueri,
Atque Sacerdotum iuſſus complere paratum,
Iuſtitiam populo ſincerâ lege daturum.
Wilgiſ. *Sic Deus adſpiret, Superûm mittatque fauorem.*
Vngat Rex Regum ſacro te chriſmate Regem.
Auratum diadema comis impono, rogoq;
Æterno vt cœli ſerto te gloria cingat.
Præbeo ſceptra manu, queis fidus Regna gubernes,
Nec per dona ſinas, nec te per præmia frangi.
Io Rex multos HENRICVS *viuat in annos!*
Aula. *Io Rex multos* HENRICVS *viuat in annos!*
Wilg. *Imperet, atque potens fidei ſibi ſubiuget hoſtes!*
Aula. *Imperet, atque potens fidei ſibi ſubiuget hoſtes!*
Wilg. *Nunc vnà Proceres pariter properemus ad Aulam.*

SCENA

SCENA SECVNDA.

HENRICVS, KVNIGVNDA, ET VOX CÆLESTIS.

Kunig. *FLagrans optaui, Rex & charissime coniux,*
Effari quidquam tectum quod mente tenebam:
Sed quia nolebam reliquos cognoscere nostrum
Consilium, volui secretum pandere soli.
Non equidem ignoro supremi iussa Tonantis,
Qui nudâ postquam terrâ plasmarat Adamum,
Et sociam dederat, commisso crimine, factum est
Fæmina quòd maneat iussu subiecta mariti.
Sed tua me fecit virtus Henrice probata
Dicere quod teneo, & verbis audacius vti:
Ast quæ virgineâ verecundia mente moratur,
Non sinit, vt casto concepi pectore, fari.
Ergo peto supplex veniam concede roganti,
Vt possim cordis secretum mente patenti
Promere; nec dictis nostris auertito vultum,
Sed prospe verbis aures inflecte benignas.
Henr. *Chara mihi coniunx, de me quid turbida quidquam*
Hæres aut dubitas? nostri pars vnica cordis
Et mentis requies, quod habes animosa reuolue.
An sponsus poterit sponsæ contrarius esse?
Perge age, ne dubites: quamuis res plena pericli
Esset & excellens, quam me Kunigunda rogares,

Mox

Mox consentirem: scio enim non Regna petitum
Iri, nam mecum pariter sociata coronæ es.
Mens aliud dictat diuino afflata fauore,
A teneris annis puero quod corde repostum est.
Quam gratè id facerem, si me Kunigunda rogares!
Dic igitur, par est fortassis vtrimque voluntas.
Kunig. *Ergò sum sperans, omniq́ue soluta timore,*
Rexq́; Henrice tuo nunc sum stabilita fauore.
Quum iuuenis versarer adhuc genitoris in Aulâ,
Cum paribus sanctis, castisque ornata puellis,
Sæpè loco lusus circum cingente coronâ
Consedi; non luxuriam studiosa secuta, at
Deuotis recreans castas narratibus aures.
Sæpè pius IESVS, *virgo quoque sæpè* MARIA
Nobis sermo fuit: nec cælica defuit aura:
Hæc dum narrantes, animus cuiusque sagittis
Intus diuini gyrari visus Amoris.
Ex tunc optabam (Genitor si vota liceret)
Me sponsam sacrare Deo: sed filia patri
Cum natu maior, non sum ausa negare maritum.
Interea precibus rogitabam sæpè Tonantem,
Nubere si cogar, talem det habere maritum,
Qui facili ductu concedat vota petentis.
Virginea ergo precor tecum connubia seruem.
Henric. *O mea Sponsa! Soror mea! Fraternus tibi sponsus*

Sem-

Semper ero, tecum castos viuens Hymenæos.
Nam fuit illa meæ semper sententia mentis,
Virgineam potius vitam, quàm prole beatam
Ducere, sed sociam Regnorum sceptra rogabant.
Ergo seruemus nitidi candoris honorem.
Kunig. *Quantus lætitiæ dulcor mihi pectore surgit!*
Nunc igitur Dominum coniunctâ mente precemur,
Vt pius afflatu cælesti vota secundet.
Caste Pater Superûm, qui castis mentibus indis
Diuinum numen: te te cui casta rogantûm
Vota placent, petimus nobis digneris adesse:
En nos virgineâ sacros tibi mente dicamus.
Mater virgineo cum Gnato; candida sponsa,
Candida Virgo simul, casto cum coniuge Ioseph,
Nos contra impuros insultus numine vestro
Defende, vt purè transacto temporis æuo,
Virgineæ cælo sociemur vterque phalangi.
Vox cæl. *Pergite virginei sponsi, promitto supremum*
Numen non deerit, thalami seruate pudorem,
Nec Veneris curate faces, nam cælicus ardor
Dæmonis insultus pellet: sic grandis honorum
Gloria in orbe foret, vos vos post tempora vitæ
Fidite virgineis ambos sociabo cateruis.
Henr. *Grates summe Deus ferimus, tibi Virgoq; grates.*
Intro pergamus, Procerum nos turba moratur.

SCENA III.

DÆMONES, BELSEBVB, ASTAROTH, MOLOCH, BAAL, DAGON, &c.

Belseb. SI *Phlegethontæi lætari limina Regni,*
Et multis volumus dominetur nostra potestas,
Sæpius attendi debent, & in acta referri
Progressus vestri. Cunctos à tramite cæli
Per mundi pompas, per mellea pocula carnis,
Officij est vestri, ad nostras inflectere partes,
Vt solito plures animæ trudantur ad imas
Inferni flammas. Quare nunc ordine ferte,
Quid per vos fuerit scelerum toto orbe patratum,
Num vigeat forsan vigilantia debita vobis.
Interea sedeas librum complexus apertum,
Et maculis tetris sociorum scribe relata.
Astar. *Inferni Rector totum deponere verbis*
Vix potero, per me fuerint quot tradita flammis
Lucra: mihi cœpi peruertere Turcica regna,
Et stygiis telis illis inferre venenum.
Effeci tumidis biberit sub pectore flammis
Aduersus Persas nuper Rex Turca furorem.
Hinc atque hinc frendens mox ira coëgit ad arma
Millia multa virorum, equitum peditumq; cateruas.
Vna luce neces vtrimque per arma dederunt

Æter-

Æternis pœnis animarum millia centum.
Hæc ego Rex anno feci redeunte ſecundo.
Belſeb. *Nil aliud per te tanto pro tempore geſtum?*
Quid piger? hinc triſtem extemplò ducatur ad orcum,
Ignitis illi crucientur tergora flagris.
Tu quid habes?
Moloch. *Socio multùm peiora daturus.*
Ipſe in Chriſtiadum Regnis mala ſemina ſparſi.
Belſ. *Sic de Chriſticolis lætor bona nuntia ferri.*
Mol. *Ex his creuerunt magno cum fœnore fructus.*
Feci vt cum Sclauis tulit Hungarus atque Bohemus
Coniunctis animis Germanis prælia Regnis.
Innumeri cecidere viri: ſacra ipſa profanis
Miſcentur: Chriſti vix vlli templa frequentant.
Turba Sacerdotum perijt, nec clauſtra ſuperſunt.
Belſ. *Eſt aliquid, verùm mallem meliora tenere:*
Hac vice nil grauius tamen in te mando ſtatutum;
Commoda ſed poſthac per te maiora ferantur.
Quæ tu lucra feres?
Baal. *Per me noua dogmata quidam*
In Chriſti vulgauit agros: quem multa ſecuta eſt
Turba hominum: plures ſpero pluresq́; ſequentur.
Belſ. *Hoc craſsis adſcribe notis, & nomen & annum,*
Quotquot & his fuerint à cæli tramite flexi.
Dogma nouum gratum eſt. Quæ tu mihi commoda dices?

Dagon. *Hactenus vsque fui procerum versatus in Aula;*
Henrico feci vt nupsit Kunigunda marito.
Hæc cùm vouisset semper seruare vigorem
Virginitatis, ego genitore iubente coëgi
Quod Bauarûm Domino firmè connubia iunxit:
Et contra votum spoliabit flore nitorem.
Belsebub. *Prô! quid ais? fregit Kunigundis fœdera voti;*
Quæ se promisit castos per tempora vitæ
Ducere velle dies, Hymenis sponsalia fecit?
Hoc hoc ter magnis adscribat penna lituris.
Sic age ne recidas, multos coniunge labores,
Nequam mitte faces, lites & iurgia, posthac
Vt nostri maneant: tibi præmia magna dabuntur,
Sic igitur studeant omnes mea Regna replere,
Magnus adhuc locus est toti qui sufficit orbi.

SCENA QVARTA.

HENRICVS, KVNIGVNDA, CAROLVS, OTTHO, PRINCIPES, cum suis Nobilibus & Seruis.

Hen. *CHara mihi coniûx, procerû quoque nobilis Aula,*
Quãdoquidem sint lata mihi diademata Regni,
Si Domino volumus placeant Regalia facta,
Optatoq; regat moderamina nostra fauore,
Rebus vt in cunctis fiat Diuina voluntas,
Præ reliquis curare decet. Studeamus id ergo

Sollicitè ſeruare; piis per tempora vitæ
Officiis prompti, donis recreemus egenos,
Exemplum populo demus pietatis, honorem
Rebus diuinis, adeamus templa frequenter.
Et Ratisbonnam ſubitò properemus ad vrbem,
Sancto VVolfgango (cuius mors ſacra coruſcat
Eximiis ſignis) precibus committere curam
Et Regni regimen, generali vt pace paratâ
Sola fides Chriſti vigeat per limina mundi.
Kunig. *Illa decet verum mentis ſententia Regem;*
Non mundi pompas, non carnis quærere luxum,
Non ſæuis gaudere minis, non bella mouere,
Omnes per fines potius diffundere pacem,
Et Chriſti vulgare fidem; quî veſtra ſupremo
Facta Deo placeant, cuius nutu omnia fiunt.
Sic perge, & læto gaudebunt Regna vigore,
Sic Superûm ſedes fœlici morte dabuntur.
Carol. *Lætari meritò debent Germanica Regna,*
Se tantum reperiſſe virum, cui cælica cordi
Sit pietas, populi quem ſtringit cura ſalutis.
Fœlix illa dies, proceres quâ ſceptra dederunt
Tam celebri moderanda Duci. Et tu maxime Præſul
Chriſtiadum gaude, venit qui pondo tyrannûm
Auferat, & rebus Romanis ferre leuamen.
Tu quoque te iacta Bauarûm generoſa propago

Stirpe tuâ Imperio talem venisse Monarcham.
Ast tibi præcipuè data sint encomia laudum,
Tam claras sancto claudis qui pectore dotes.
Sic decet insigni virtutum sceptra decore
Exornare: Polo te præmia celsa manebunt.
Henr. *Sit laus illa Deo, is solus bonitatis origo,*
Illi perpetuò debemus reddere grates.
Nunc igitur sacras ædes intremus; ibidem
Si dudum remoror, clauso discedite templo:
Rursus & huc ad me transactâ nocte redite.

SCENA QVINTA.

SANCTVS VVOLFGANGVS EPIS. ET HENRICVS.

A Domino rutilis venio transmissus ab Astris,
Henrico Regi cœlestia nuntia ferre.
Prô quàm sancta viri pietas est grata Tonanti!
Et miseris sacrisq; viris quæ munera præbet,
Larga manus, deuota fides, & casta voluntas,
Quâ colit angelicam in terris cum coniuge vitam,
Sunt accepta Deo. Sed nec pia facta carebunt
Multiplici mercede: suos nam Rector Olympi
In mundo cumulat donis, & postea fidos
Seruos perpetuò Superûm ad consortia transfert.
Atq; ideò veni sanctum decorare nitenti
Regem præ reliquis quotquot, diademate, Regnis.

Impe-

Imperij te sceptra manent, sic ordinat ipse
Imperij Dominus: sextò cum verterit orbem
Signiferum Phœbus, Tarpeius Præsul habenas
Romani Regni summo tibi iure tenere
Rex Henrice dabit. Notulis id pollice scribam
Indicij signis in nostri saxa sepulchri,
Illique ostendam, venit qui ad limina templi
Per noctem vigilans, leuiter cui membra sopore
Inuasit somnus, vigili sed corde precatur.
Heu Henrice tuis precibus cælestia gaudent
Numina; te præclara manet super æthera merces,
Et celsam tua facta ferent ad sidera palmam.
Sic propera: nunquam virtutum tramite spreto
In læuam deflecte viam: non carnis amore,
Non mundi allectus pompâ te crimine fœdes.
Iustitiam retine, sis & pietatis amator,
Et tibi larga manus miseris succurrere noscat.
Castam conserua mentem, virtutis amator
Vsque mane, vitijs nullo te tempore dones.
Sic sic grata forent Domino tua facta supremo,
Ad te cælorum qui me transmisit ab alto,
Hæc tibi nota feram nostro quæ scripta sepulcro
Sedulus illa legas, animo memoriq; recondas.

SCENA SEXTA.

HENRICVS, KVNIGVNDA, CAROLVS, OTTHO, &c.

Henr. *O Quàm læta meis oculis affulsit imago!*
Quid vult insolitæ sibi forma rei? Ergone seruū
Me me tantopere redamas sanctißime Præsul,
Vt mihi de cælis præsens digneris adesse?
Sincerum cognosco Patrem, cognosco fauorem,
Quem mihi non digno gnato Pater optime præstas:
Quæ VVolfgange mones semper seruare studebo.
Quid verò illa volunt, digitis quæ signa sepulcro
Sunt inscripta tuo? POST SEX *dignabere luces*
Visere me Domine, & securâ morte soluto,
Non peritura mihi tecum dare gaudia cælis.
Grates summe Deus, grates tibi sancte Patrone,
Quòd mihi dignatus famulo prædicere mortis
Horam, vt repperiant me fata migrare paratum.
Carol. *Fœlicem vobis lucem Rex magne precamur.*
Henr. *Heu Proceres quàm læta dies! hac nocte beatus*
VVolfgangus præsens, iußit quî signa sepulcro
Scripta suo legerem: notulis en vsque coruscis
POST SEX *(adde dies) horam mihi mortis adesse.*
Carol. *Non hoc, ast aliud reputo per signa notari.*
Tam festina vigens te nobis auferet ætas?
Mens aliud dictat signatum signa iubere.

Henr.

Henric. *Non ſic: præterea nam iußit deditus eſſem*
Totus virtuti, ne ſcilicet vltima vitæ
Me lux inueniat reſidem, & virtutibus orbum.
Atque proinde decet, ſtudioſum plenius eſſe
Me (dum vita ſinit) meritorum fruge beare.
Kun. *Sic age mi coniunx: quamuis mihi pectore mœror*
Nonnullus ſurgat ſociam te linquere vitam,
Nec tamen hoc opto, nec ſigna hoc velle putamus:
Verùm ſi Dominus iubeat de corpore migres,
Hinc licet ima mihi premerentur corda dolore,
Aſt ſolamen adeſt, recolens tua facta Tonanti
Grata dari, quæ te terris ſuper æthera tollant.
Henr. *Ergo rogo precibus noſtri meminiſſe frequenter,*
Vt gratam Superis mortem contingat obire.

CHORVS VIRTVTVM.

IVSTITIA, CASTITAS, PIETAS, & LIBERALITAS.

Iuſtitia. *PErſonent lætâ pariter Sorores*
Voce virtutum ſeriem ſuperbam,
Queis adornantur rutilante fronde
Regia corda.
Subditum Regi populum beatum
Prædico, cuius viget æqua virtus,
Neſciens fraudem ſua cuique reddit
Pondere iuſto.

Non amor nummi dominatur illi,
Nullius prosunt procerum fauores,
Nec doli ficti poterunt bilancem
Flectere iustam.
Nulla prauorum simulantur acta,
Impium pœnis scelus expiatur,
Et piis factis hominum proborum
Munera dantur.

Castitas. *Lilium cordis niuei decoris*
Seruat intactum radiante flore,
Corporis mundi Domino placentem
Mittit odorem.
Hinc procul tædæ Veneris procacis,
Hinc tuæ turpis pharetræ Cupido,
Carnis immundas maculas pudico
Pectore nescit.
Nec cares huius Kunigunda laude,
Quæ parem seruas thalami nitorem,
Et paris cælo meriti decora
Serta parantur.
Coniuges terris agitis supernæ
Angelum vitam similem cohorti,
Angelis vnà similes feretis
Sidere palmas.

Pietas. *Seu dies Phœbi radiis coruscet,*

Seu micent ſtellæ mediis tenebris,
Ad Polos mittunt precibus frequentes
Feruida vota.
Nunc Deum poſcunt lacrimoſa verba
Vt pios actus populus ſequatur,
Nec ſui ſeruis Dominus fauoris
Subtrahat auram.
Nunc rogant cæli Dominam Mariam,
Vt ſibi caſtè famulis ſacratis,
Omnibus dignans animæ periclis
Ferre iuuamen.
Vel petunt altò reliquas phalanges,
Vita quas iunxit Superis beata,
In bonis illas imitatus ardor
Tollat ad aſtra.

Liberalitas. *Approbo veſtrum miſeris leuamen,*
Qualiter largè tribuat petenti
Corde clementi manus apta ſemper
Grandia dona.
Clauditis nunquam digitos egenis,
Nec refutatis lacrimas rogantûm,
Vltro quin palmas potius feretis
Semper apertas.
Quid domos caſtas referam ſtatutas?
Templa quid dicam Domino ſacrata?

Quid feram sacris homines locatos
Munere vestro?
Gaudet in terris ope largitatis,
Quisquis à vobis cumulatus exstat:
Et quis in cælis decoratus exstat
Gaudet honore.

Omnes simul. *Io io fœlix properent vterque,*
Tramitem recti teneant per æuum,
Et forent vobis rutilo parata
Præmia cælo.

ACTVS SECNDVS.

SCENA PRIMA.

HENRICVS, KVNIGVNDA, CAROLVS, OTTHO, &c.

Hen. *IAm sextos anni perfecit lumine cursus*
Auratus Solis currus, propè septimus instat.
Sollicito dictum VVolfgangi corde volutans,
Vicinam tandem mortem mihi suspicor esse.
Ac ideo petimus Romani limina templi,
Vt Sacros Domini Proceres mea vota salutent,
Qui pro me precibus dignentur poscere Christum,
Scilicet vt fausto concludam tempora fine.
Quamuis nullius præsens mihi conscia vita
Sit sceleris, nondum securâ mente quiesco,
Ignorans odio an dignus, num dignus amore.

Kunig.

Kunig. *Perge age fac animo forti sis chare marite.*
Ne dubites, Domino & Superis tua vita probatur:
Non etenim fieri poterit, contrita dolore
Pectora nolle videre Deum, cui splendida facta
Virtutum comitata placent, & præmia poscunt.
Henr. *Addit & hoc animũ. Superest vt nouerit Aula*
In quibus, & qualis sit post mea fata voluntas.
Si fortè hanc citius contingat linquere vitam,
Præcipuè volumus flagranti mente rogatos
Vos Proceres, vt si post me Kunigunda superstes,
Hanc, veluti par est, omnes reuerentur, & illi
Consilio sitis. Quod nondum mente cupitum
Exsequier potero festinâ morte peremptus,
Commissum Kunigunda tibi decernimus esse.
Diuitias, quas inuenies, pietate benignâ
In miseros tribuas, dones domubusq́ sacràtis,
Et sanctas ornes aras: mihi Sacra precesq́
Subsidio cures animæ, vt si fortè luendum
Sit quidquam flammis, citius soluamur ab illis.
Kunig. *Ne minimò de me dubites charissime Sponse,*
Quòd si te Domini iussu contingat obire,
Semoto quamuis disiuncti corpore simus,
Nulla tamen veniet nobis obliuio vestri.
Quî fieri posset socij quos nexus amoris
Constrictos habuit viuos, post fata resolui?

Non sic

Non sic friget amor: verum quos vita ter arctis
Coniunxit nodis, mortis seiungere tela
Non poterunt: nunquam nostrâ de mente recedes.
Ottho. *Quamuis speremus plures quòd temporis annos*
Concedent Superi: sed si mortis tamen hora
Te citius Bauarûm mœstæ substraxerit Aulæ,
Quod Deus auertat, fidos Regina ministros
Nos experta feret: qualesq; superstite Rege
Exstitimus, Regis post fata manebimus idem.
Henric. *Hos animos laudo Proceres: sic pergite nobis,*
Donec vita manet, semper præbere fideles.
Nũc ceptum aggrediamur iter: properemus ad Vrbem,
Et pedibus Tarpæi humiles Patris oscula demus.

SCENA II.

ECCLESIA & RELIGIO spoliantur à SCLAVIS.

Eccles. QVicquid Germanum latè circumspicit orbem,
Quicquid regna tenent finibus ampla suis,
Posco meis vestros fletus mihi fletibus addi,
Heu mœror plangi non satis vsque potest!
Relig. *Hassi, Francones, Misnenses, Saxo, Turingi,*
Hungarus & Prußi, Regna Bohema, Poli;
Austria cum Danis, & quæq; his regna cohærent,
Tristes nobiscum sumite mœsta modos.

Eccles. *Vrbes cum vicis, ædes, castella, plateæ,*
Arces, rus, syluæ, flumina, pagus, ager;
Reges, Primores, ciues & turba colonûm,
Mœstitiæ quæstus corde gemente ferant.
Relig. *Et claustra, & sanctæ Sedesq; monastica templa,*
Fana, aræ, & quæquæ sunt loca sacra Deo;
Casta caterua virûm, vos virgineæq; phalanges,
Heu lacrimæ ex oculis fluminis instar eant.
Eccles. *En Christi ter sancta fides calcatur iniquè,*
Illam, prô! nemo sorde leuare studet.
Verba Sacerdotum squallent legesq; Tonantis,
Sacramenta, Cruces & pia templa gemunt.
Relig. *En sacra Relligio telis iacet icta tyrannûm,*
Dirripitur cunctis illa decore suo.
Ædes vastantur sacræ, pia turba necatur,
Opplentur fluido sanguine casta loca.
Sclaui. *Arma viri, vastate fidem, sacra tollite ferro;*
Christicolæ, Monachi mergantur cuncta cruore:
Ista superstitio procul, his discedite Regnis,
Omnia tela necent, ne sint vestigia Christi.
Eccles. *Qualiter ecce feri dominantur tela furoris?*
Vt tormenta, neces dira tyrannis agat!
Siccine cogemur maternam linquere sedem!
Siccine, quæ tanto parta labore, cadent!
Relig. *Ergo valete dolor! dolor! ô Germanica Regna,*
Vrbes, templa, viri, casta valete loca.

Non ego vos posthac diuas celebrata per aras
    Cernam cincta piis relligiosa viris.
Eccl. Quid restat? Superi qui me has duxistis in oras,
    Me, me, quàm miserâ sorte videte premar:
Qui castæ hic fidei iecistis semina, sicne
    Fertis sacrilegam luxuriare fidem?
Relig. Vos, vos qui nostro nutriti lacte fuistis,
    Qui nunc gaudentes æua per æua Deo,
Quæ loca parta mihi vestro sudore dedistis,
    Hæc eadem precibus reddite quæso loca.
Vox cæl. Ne recidant animi: vobis spes vnica restat
Henricus, qui Romanam progressus ad vrbem,
Vt sacris templis eius me vota salutent.
Purpureo Patri suggessi, vt tempora serto
Illi ter celso cingat, tribuatq; coronam
Imperij, qui Christiadum vastissima regna
Dirigat. Iste procul terris scelus omne repellet:
Rursum sancta fides, & cælica Sacra vigebunt.
Eccles. Grates summe Deus dignans audire precantes,
    Et dare tristatis nuntia læta spei.
Ergo chara soror Bauarorum regna petamus,
    Hic etenim fidei lumina clara micant:
Hic dabit Henricus tuto sub tegmine sedem,
    Donec promissum gratior aura ferat.

SCENA

SCENA TERTIA.

PAPA & HENRICVS cum suis.

Papa. *Fili grate Deo dudum te sacra moratur*
Turba Patrũ : nobis optato tẽpore præsẽs
Venisti, vt fausto pertingant tramite metam,
Quæ Superis inspirati concepimus antè.
Omnipotens genitor, qui dirigit omnia nutu
Quæ per diffusi contingunt limina mundi :
Qui bonitate suâ cælesti numine replet
Regales animos : qui castam Regibus indit
Et sanctam mentem, arcano spiramine iussit
Præ reliquis quotquot vastus complectitur orbis,
Tempora celsa tibi triplici diademate cingam.
O gratum Superis animum ! Ter digne virorum
Imperij augusto qui gestes vertice sertum.
Non ego carnali blandus te stringo fauore,
Sed quem suggeßit Rex regum fidere nobis,
Illo te exorno, illo te complector amore.
Hen. *Heu quis ego ter Sãcte Pater, quem nexibus arctis*
Sic redament Superi ? Quem tu dignaris honore
Imperij ? Quem Pontificum rubra Turba salutet,
Orbem Christiadum supremo vt iure gubernem ?
Nunquid ego tantum præsumam scandere culmen ?
Absit : me nosco indignum nam munere tali.

Papa. *Ne sis aduersans; oblatum suscipe munus,*
Sic voluit Dominus, qui te præuidit ab æuo,
Vt Romanorum teneas moderamina Regni.
Henr. *Quandoquidem fieri iubeas ter magne Sacerdos,*
Ne forsan populis decus hoc quæsisse putemur,
Dicam quæ fuerit Romani causa profectus.
Nuper cùm peterem VVolfgangi limina sancta,
Quem signis multis in terrâ Numen honorat:
Dum precibus Dominum posco, sanctumq; Patronum,
Orantis placido per noctem membra sopore
Inuasit somnus. Subitò mihi Patris imago
Adfuit, & multis hortatur: denique versus
Marmoream tetigit tumbam, quâ corporis eius
Ossa iacent, notulis manifestis pollice sacro
Inscripsit tumulo hoc (POST SEX) *sic inde recessit.*
Experrectus ego, tacitè mihi pectora curæ
Pertentant: signis vicinam interpretor horam
Mortis adesse mihi, quare me præparo totus
Post sextam lucem è viuis à morte vocandum.
Transit sexta dies, mensis superadditur illi,
Quin & nunc Phœbæ bis ter compleuerat orbem,
Nec quis solliciti vexabat viscera morbus.
Ergo totus eo vertor voluisse probare
Signa mihi, sextum post annum certius esse
Tempus, quo statuit Deus vt me vita relinquat:

Hinc igitur primò Romani limina templi
Visere decreui, Christi Proceresq́; rogare,
Vt dent fine bono præsentem claudere vitam.
En nunc ipsa dies rediit, quâ rebar adesse
Signatam vitæ metam post tempora sexta.
Papa. *O benedicte Deus, sapienti quàm ordine cuncta*
Dirigis! vt pulcrè resîdet tua Diua Potestas
Humanis rebus. Sancti hoc suggestio Patris
Demonstrare sibi voluit post sex tibi Solis
Zodiacos cursus, Augusta vt sceptra darentur.
Acclament igitur ter faustis vocibus omnes:
Io io Henricus Cæsar per sæcula regnet!
Omnes. *Io io Henricus Cæsar per sæcula regnet!*
Papa. *Nunc ergo Diuas Petri pergamus ad ædes,*
Vt tibi Cæsareo cingantur tempora serto.

SCENA QVARTA.

SS. GEORGIVS, ECCLESIA, LAVRENTIVS, ANGELVS, RELIGIO, & ADRIANVS.

Eccl. *O Vos cælestes Ciues, quos purpura texit*
Martyrij fluido sanguine tota madens,
Exilium infœlix miserati cernite nostrum,
Cogimur ignotâ quærere parte solum.
Relig. *Qui celsâ Proceres Domini regnatis in aula,*
Quosue triumphantes cælicus ambit honos,

Afflictas fœdè vestras spectate Sorores,
  Vt nos excrucient vndique tela malis.
Eccl. *Siccine dogma sacrum Christi tolerabitis angi?*
  Vt iaceat miserè sub pede pressa fides?
Anne meis doctrina stygis dominabitur aruis?
  Semina Christiadum praua dabuntur agris?
Relig. *Vt loca sacra gemunt manibus spoliata profanis,*
  Limina casta, pudor! mersa cruore natant.
Et vobis sanctè fuerant quæ templa dicata,
  Sacrilegæ turbæ dira tyrannis habet.
S.Georg. *Siste tuas lacrimas, gemitus Ecclesia siste,*
  Nec tristis nimiùm pectore mœror eat;
Cæsareo Henricus cinctus diademate frontem,
  Fidus defensor, spes erit ille tibi.
S.Laur. *En vix Romanâ Cæsar discessit ab vrbe,*
  Cor fidei impleuit Sacra sagitta focis:
Cælitus accensus bellator præparat arma,
  Vt procul Imperij pellat ab orbe scelus.
Angel. *Tu quoque Relligio mœsto ne cede dolori,*
  Squallida nec fletu sit madefacta gena;
Ille ille Henricus conuulsum reddet honorem,
  Fulgidius sacro culta decore fores.
S.Adr. *Largiùs, vt fuerant olim, spoliata reponet,*
  Quæ collapsa, tibi splendidiora dabit.
Spera, iacta nouis cernes fundamina templis,
  Rursus florebit Relligiosa phalanx.

Eccleſ. *O vtinam antiquum poſſem ſperare vigorem!*
Vt mihi ſolatî dulcia verba ſonant.
Angel. *Ne dubites, ideo ſuperis tranſmittimur aſtris,*
Henrico auxilium ſubſidiumq́ dare.
Mox illum ad bellum cincti comitabimur armis,
Credite vos paruo tempore mœror aget.
Relig. *Spes noua nos recreat, triſtes procul ite dolores,*
Henricus rurſum tempora læta dabit.
Quid dubitamus? enim Dominus promiſerat antè,
Et nobis ſunt ſpe conſtabilita nouâ.
Eccleſ. *Ergo nunc ſolitas Bauarûm repetamus adoras,*
Donec maternus redditus orbis erit.

SCENA QVINTA.

HENRICVS cum ſuo exercitu, ANGELVS, SS. GEORGIVS, LAVRENTIVS, & ADRIANVS.

Henr. *STate viri. Poſtquã Domini fuit illa volũtas*
Romani Imperij mihi ſceptra vibrãda dediſſe,
Summi Pontificis mecum mandata volutans,
Sacrilegos hoſtes fidei delere per arma
Decreui, ne Cæſaream ſumpſiſſe coronam
In vanum videar, tantum mea commoda quærens,
Si fidei cauſam, & Domini ſpernamus honorem.
Non ſic me torpere decet, qui vertice triplex
Non ideo diadema fero vnctus chriſmate ſacro,

Sed fidei aduersos, sed debellare superbos.

Ottho. *Excellens Cæsar propè sunt en limina templi,*
Hîc in relliquijs Adriani cernitur ensis,
Quo quondam Domini generosus prælia gessit.
Hoc soliti Reges, dum inferrent hostibus arma,
Accingi, quibus è cælo victoria cessit.
Ergo Sacerdoti dicam qui proferat illum.

Sacerd. *Hũc Cæsar vobis gladiũ do, & posco Tonãtem*
Hoc te det fidei fortem superare rebelles.

Henr. Iudica Domine nocẽtes me: expugna impugnantes me. Apprehende arma & scutũ, & surge in adiutorium mihi.

Quid video socij sacra sic spoliata profanus?
Siccine Christe feram pedibus calcarier illa?
Anne feram? Mihi quæso tuum de sidere robur
Mitte Deus, plenam vt vindictam sumere possim.
Laurenti martyr, quoque vos Adriane, Georgi,
Quorum templa iacent solito priuata decore,
Auxilium mihi ferte polis, & iuro subactis
Hostibus illa suo decorata dabuntur honore.
Quos video splendere viros, qui sideris instar
Fulgent? nobiscum qui concomitantur ad arma?

Angel. *Ne timeas Henrice tibi transmittimur alto,*
Venimus auxilio, nostrâ virtute rebelles
Christo deuinces: animosè ad prælia perge.

Henr. *Grates summe Deus, qui dignans æthere nobis*

Mittere subsidium, non illud munere nostrûm,
Verùm Christe fauore tuo, quo tempore seruum
Omni prosequeris: quin missis sidere Sanctis
Fœlicem facto spondes certamine pugnam.
Ecquid cunctamur miles? properemus in hostem,
En promissa datur nobis victoria cælo.

SCENA VI.

Dux Sclauorum cum suis fugatus.

Dux. *PErdidimus socij, vix spes est vlla relicta:*
Perdidimus planè, stipati robore tanto
Armorum, fuerant hominum tot millia nobis,
Tanta manus iuuenum, quantam Germania nunquam
Conspexit similem, de tot modo millibus vnus
Vix superest, à se dispersi ignota pererrant.
Quid restat? quò confugiemus? terminus omnis
Cingitur armatis: saltem si castra vel vrbes
Quædam nostra forent, vt tuti mœnibus esse
Possemus, telis hostiq; resistere, donec
Copia subsidij nobis aliunde veniret.
Sed quid tam fœdè certamine vincimur vno?
Nobilis. *Quid cõtra volumus? quid nos opponere frustrà*
Illis conamur, queis clarum est Astra fauere?
Nam dum congredimur, medias splendore corusco
In partes cælos videor vidisse patentes.

Protinus ingenti quatiuntur lumine vultus,
Vt possent hostes nulli dignoscere nostrûm.
Cædimur interea propriis, tum hostilibus armis:
Plures ex nostris sociûm cecidisse per arma
Constat, quam hostili fuerint certamine victi.
Quare suaderem placidam cum Cæsare pacem
Ponere, ni toti spoliati, serius illam
Poscere cogamur, ne tunc optata negetur.
Dux Scl. *Siccine tot populos, tam vasti limina regni*
Henrico cedam? certaminis vnica finem
Pugna dabit? non sic extrema probare necesse est.
Nobilis. *Ne nimiùm propriis confidere viribus aude.*
Nil tibi subsidij est, cunctis spoliaris ab armis,
Et procul hostiles fugiens prolapsus in oras.
Spondeo, si à nobis Cæsar noscatur, & eius
Acceptare fidem volumus, quæ perdita Regna
Reddet, & Henrico semper viuemus amicè.
Dux. *Quandoquidem superest nusquã spes altera victis,*
Fiat, vobiscum properabo ad Cæsaris aulam,
Si forsan veniam faciat clementia nobis,
Pacificè vt nostris poßimus viuere terris.

CHORVS Christianorum exultantium.

Primus Christ. *Sint procul tristes nimium dolores,*
Terminos cordis solitos relinquant;
Nec grauis pungat stimulante pectus
Cuspide mœror.

Non

Non eant fletus oculis fluentes,
Nec riget vultum lacrimosus imber,
Comprimant tandem tepidos amara
Lumina fontes.
Fecit Henricus miseris leuamen
Causa quod nobis fuerat malorum,
Abstulit rursus faciens beata
Gaudia plebi.
Secundus. *Io festiuè socij resultent,*
Iura qui sacræ fidei tuentur
Gestiant, lætis modulata cantent
Carmina plectris.
Quæ fides olim pedibus profanis
Strata sæuorum fuerat tyrannûm,
Rursus erecto virides resumsit
Stipite frondes:
En erat quondam spoliata sacris,
Pristino nunc est rutilans decore,
Et caput celsum radiante fronte
Tollit ad astra.
Tertius. *Regna Germano procul ampla fine*
Nobiles lætè celebrent triumphos,
Cinctus ostentet populus virenti
Tempora lauru.

Soluit Henricus veteres catenas,
Nos quibus strictos tenuit tyrannis:
Reddidit pulso strepitu furorum
Libera Regna:
Templa lætanter populi frequentant,
Sacra restaurant solitos honores,
Virginum gaudet simul & virorum
Candida turba.

Quartus. *Defleant Sclaui spoliata castra,*
Et gemant cæsas peditum cateruas,
Et gemant pulsas equitum cohortes
Marte cruento.
Comprimant actus nimiùm feroces,
Nec petant strictis gladiis fideles,
Nec rubro spargant fluuio cruoris
Limina sacra.
Retrahas Dæmon stygiam pharetram,
Nil tuæ damni poterunt sagittæ,
Nil tui prauo facient ministri
Semine sparso.

Omnes simul. *Poscimus summũ Superûm* Tonantem,
Donet Henricum superare semper,
Vt fides Christi vigeat per æuum
Flore perenni.

ACTVS

ACTVS TERTIVS.

SCENA PRIMA.

DÆMONES, BELSEBVB, ASTAROTH, MOLOCH, BAAL, DAGON, &c.

Belſ. HOrtatus nuper fueram, quoq́ꝫ tela minarũ
Addideram, noſtri latandi limina Regni
Vt maior vos ardor agat, quî Tartara creſcant,
Et ſolito plures imos trudantur ad ignes.
Sed nulla vt video ſocij vos cura momordit,
Et ſurdâ aure pigri & reſides mandata bibiſtis.
Sicne cadunt Domini veſtri ſine pondere iuſſa?
Siccine noſtra foret vobis ſpernenda poteſtas?
Quis vos torpor habet? veſtræ ſine robore vires
Succumbunt video, ſolitos demittitis aſtus.
Olim tranandis animabus cymba Charontis
Vix ſatis ampla fuit; ſed nunc in littore conto
Immerſo reſidet, nec nauli lucra reportat.
Nonne fit hoc ideo quod fraudum tela quieſcunt,
Et ſine ſanguineis plagis ſeponitis arma?
Neſcio quid dicam? Aſt timeo mea Regna peribunt.
Aſtar. Non ea torpori noſtro reſidiq́ue quieti
Adſcribat; nunquam maiores egimus aſtus.
Non deſunt fraudes, non deſunt ſpicula praua;
Sed nil proficimus: tantorum cauſa malorum eſt

Henricus. *Quondam latè Germanica Regna*
Imperio suberant nostro; nunc Cæsaris arma
Viribus aucta Poli crimen procul omne repellunt.
Effeci fuerant miseris fœdata ruinis
Templa, & sacra Fides pedibus calcata iacebat:
Restaurantur opes, sed nunc & limina sacra
Excelsis surgunt muris. Quin & noua castis
Fundamenta iacent domubus noua damna daturis.
Insuper Henrici suasu Rex Hungarus, olim
Qui noster fuerat, tua Pluto castra reliquit:
Vtq; fides huius Regno stabilita maneret,
Cæsar in vxorem Germanam tradidit illi:
Non puto coniugium per terras sanctius esse.
Præterea populi, qui Regum exempla secuti,
Ad virtutis iter directo calle trahuntur.
Belseb. *Heu quid profertis socij? sicne vnicus ille*
Henricus potuit nobis tot damna dedisse?
Nunquid huic fuerat Kunigundis tradita sponsa,
Quæ vouit carnis castum seruare nitorem?
Hisne fauent Superi, qui frangunt pacta Supremo
Vota Deo? Tu qui Bauarûm dominaris in Aula.
Qualiter accrescunt quæ dixsti lucra ferenda?
Dagon. *Sperabam meliora dari: sed seruat vterque*
Virgineæ Domino promissum mentis honorem.
Nil ego, nil socij possunt: quos mittimus ictus

Retrudit pietas, redeunt cum vulnere tela.
Belſeb. *Accipe conſilium: ſpecioſam ſume figuram*
Inſignis iuuenis; ſericâ tibi corpora veſte
Cingantur, cocco & gemmis orneris & auro.
I, fac quod iubeo, & pulchrè veſtitus adeſto.
Henrice efficiam noſtrâ vincaris ab arte.
Siccine te patiar totum peruertere mundum?
Plures deuici, qui te virtute priores.
Dagō laruat. *En adsū iuuenis veſtitus corpore pulcher.*
Bel. *Sic placet. hinc cautè Bauarûm properabis ad aulā:*
Dum cernes proceres multos ſpectare, patenter
Aſtutus thalamum Reginæ ſæpe frequentes:
Ibis & intrabis te mendax plurima iactans.
Sic fiet quòd Rex zelo correptus iniquo
Prauam concipiet caſtâ de coniuge mentem:
Ex hoc grandis erit fructus, lucra multa ſequentur.
I ſic fac, ſpero ſolito meliora dabuntur.

SCENA SECVNDA.
DÆMON LARVATVS, CAROLVS & OTTHO.

Dæmon. *NVnc decet aſtutè falſo ſub tegmine partes*
Exercere meas, laqueis & fraudibus vti.
Spero progreſſum, ſpero quæ commoda ferre,
Nam ſimili plures olim ratione fefelli.
En quiſquam procerum præſens verſatur in Aula,

Hoc spectante iuuat nostras contexere fraudes.
Huc furiæ, huc Acheron, Phlegeton mea vota secundet.
Carolus. *Quem video iuuenem Reginæ intrare cubile?*
An fallor? non fallor: enim rem luce corusca
Conspexi. Accedam, cæco hoc occultus in antro
Egreßi faciem captabo & verba loquentis.
Sed quàm lentus abest? Res est suspecta morarum.
En venit, excipiam tacitâ quæ dixerit aure.
Dæmon. *Per plures Kunigunda sibi me iussit adesse*
Præsentem: se velle meo gaudere fauore.
Non gratum esse virum, speciosum malle maritum:
Quare secretò procerum dum nullus in Aula,
Ad thalamum Reginæ audacter solus adirem.
Sæpius intraui, satis est factumq; petitis:
Ast nunc substrahere occultè me debeo; ne quis
Nos notet: ante tamen blandè valedicere præstat.
Car. *Heu quid cerno Deus! Quid vidi! Siccine cõiunx,*
Quam castum seruare thorum reputauimus omnes,
Interius iuuenem secretò admisit in ædes?
Salue clare Comes: præsens mala nuntia nobis
Lux tulit: Henrici vidi violasse cubile
Reginam nostram.
Ottho. *Quid ais? Kunigunda mariti*
Fædauitne thorum? Kunigunda! haud credula mens est,
Eius enim mores sunt casti, & vita probata est.

Car. *Ne dubites: remorare parũ, procus hæret in æde.*
En cernis.
Ottho. *Quid! quid! Kunigũda! heu mẽs mihi tristis*
Anxia mœstitiæ telis mea pectora lædit.
Cæsaris hinc citius pariter referamus ad aures
Quæ res visa fuit, donec tardatur in Aula,
Nec citius visus iuuenis discesserit inde;
Plus nobis fidei fuerit, si viderit ipse.
Dæmon. *Sic sic fraude bonâ res est fæliciter acta.*
Cæsar adest grandi procerum comitante caterua,
Me dabo conspectum. Kunigundis chara valeto.

SCENA TERTIA.

HENRICVS, OTTHO, CAROLVS, &c.

Henr. *QVid fertis Proceres? pactum Kunigunda pudorem*
Iuratamq; fidem calcasset? vt intus amarus
Corda dolor penetrat stupefacto sanguine venis.
An credã? an non credam? Equidẽ sat vestra probata est
Mens sincera mihi; & Kunigundæ vita probata est.
Quid faciam? Medius dubijs en fluctibus arctor.
Quô rapiar? Patet ecce via, ast metus obstat vtrimque!
Illius hinc pietas; vestra hinc sincera voluntas.
Ottho. *Præcellens Cæsar, par nobis sauciat ingens*
Ossa dolor: quin rem mallemus posse negari
Quam dici. Nec suspectum id tantum putet esse:

Sunt testes proceres dictis, quòd tertia lux est
Quâ visus iuuenis Reginæ tecta frequentans.
Ecquid erit pretij Regi si falsa referrem?
Qualis honor nobis Reginam crimine ficto
Accusasse? Mouent autem me scandala Regno
Danda tuo Cæsar: si vadat fama per oras
Cæsaris vxorem thalami violasse pudorem,
Quale decus Regno! Certè diademata præstat
Perdere, quàm talis volitet de Cæsare rumor.
Hæc mihi cura fuit, quæ me (etsi corde tremente)
Rem visam splendente die dare iußit apertam,
Ne peius veniat tacito de crimine crimen.
Carol. Ne te conturbem verbis ter Maxime Cæsar,
Res audita mihi & visa est: his auribus ipse
Audiui iuuenem, qui de se plurima iactans;
Vult Regina meo (aiebat) gaudere fauore,
Per plures me præsentem sibi iußit adesse.
Dispeream si non fuerint ipsissima verba.
Nec conspectus eram iuueni, nam solus in antro
Occultus latitans, volui cognoscere finem
Et mentis sensum, gressus & verba loquentis.
Ast se non visum reputans, sibi talia dixit.
Henr. Qualis erat facies? Non nostis?
Carol. Non fuit vnquam
Aut aliis, aut visa mihi: sed vera fatebor
Vultu insignis erat, vestitu & corpore pulcher.

Henr. *Heu proceresimas penetrat dolor vsque medullas!*
Ecquò conuertar! grauis vt me angustia prendit!
Quandoquidem clarum est, coram Regina vocetur.
O quantus, quantus mœstos tremor occupat artus!

SCENA QVARTA.

HENRICVS, OTTHO, KVNIGVNDA, VOX CÆLESTIS, &c.

Hē. HEu *quid ego, dolor! audiui charißima cōiunx?*
Præ mœrore graui corpore membra tremūt.
Nescio quid dicam, sic me vrget pectoris angor,
Et lacrymas oculis cogit abire meis.
Accipe tu causam, Reginæ rem ordine pande,
Nam mea singultus gutture verba premunt.
Ottho. *O Regina potens, ter Magni Cæsaris vxor,*
Quæ simul Imperij splendida sceptra vibras;
Tristia, prô mœror! nostras referuntur ad aures,
Mallemus possent his meliora dari.
Heu quòd tam turpi causâ Regina voceris,
Vna quies Regis, Cæsaris vnus amor.
Kunig. *Quid Comes Illustris dubijs in vocibus hæres?*
Dic planè, & patulo pectore verba sonent.
Non ego contristor, sceleris nec conscia vita est,
Mente mihi purâ crimina nulla sedent.
Henr. *Spero falsa forent nobis quæ nuntia dantur,*
Me tamen in dubio pectore mœror agit.

Ottho. *Quandoquidem ſecura mali, nec conſcia mẽs eſt,*
Et patefacta rei dicere verba iubes;
Quarta dies eſt, quâ iuuenis verſatus in aula,
Ignotus, thalamum viſus adire tuum:
Intrans & rediens ædis penetralia veſtræ,
Quin auſus de ſe multa (referre pudet.)
Vult Regina meo (aiebat) gaudere fauore,
Et me per plures iuſsit adeſſe ſibi.
Illa eſt cauſa rei: aſt tibi ſit data copia fandi,
Et contrà poteris dicere, ſi quid habes.
Henric. *Vel ſolo auditu cruciant mihi corda dolores,*
Triſtia peruadit frigidus oſſa timor.
Kunig. *Ne conturberis nimium chariſsime coniunx,*
Nec luctus mœſto frigore corda premat:
Oſtendam clarè de me tibi falſa referri,
Nec mentem ſordes commaculaſſe meam.
Ardentem proferte mihi carbonibus ignem,
Spero palàm probitas quòd manifeſta foret.
Henric. *Eius tanta mihi reddit conſtantia mentem,*
Sed Proceres obſtat cognita veſtra fides.
O vtinam clarè falſum ſcelus eſſe pateret,
Et cedat nimius corde tremente dolor.
Kunig. *O Deus omnipotens cælum cui militat omne,*
Et quidquid claudit Styx, mare, terra ſinu.
Nil ſit ſub cælo, nil quod te fallere poſsit,
Sunt hominum nutu cuncta peracta tuo.

Tu ſcrutans animos, penetrans penetralia cordis,
Præſens diffuſo Numine cuncta vides.
Tu mihi ſis iudex, obiectam diuide cauſam,
Et famulam tantis eripe quæſo malis.
Tu mihi teſtis eris procerum ſpectante cateruâ,
Regeq́; præſenti tu mihi teſtis eris.
Tu mihi teſtis eris quòd ſim de crimine munda,
Nec mentem ſceleris ſordidet vlla nota.
Sed caſtam ſeruem Henrico cum coniuge vitam,
Nec Veneris mundo pectore paſſa faces.
Henr. *Heu Kunigunda meas aures tua verba moleſtãt;*
Te ſecreta animi pandere noſtra palam.
Kunig. *Vt noſcant igitur me vera fuiſſe locutam,*
Et me non fictè verba dediſſe ſciant;
Sit mihi iudicium accenſus carbonibus ignis,
Quos nudis pedibus non tamen vſta premam.
Pediſſ. *Heu timeo Regina fero læderis ab igne,*
Ac erit vlceribus plena tenella caro.
Kunig. *Ne timeas de me, nec plores chara puella,*
Sed nec tacta pedum pellis ab igne foret.
Virgo caſta Parens, famulæ Patrona Maria,
Me ſigno hoc caſtâ viuere mente proba.
Vox cæl. *O dilecta pio Superis Kunigunda fauore,*
Virgineos ignes pectore Virgo fouens:
Perge age ne dubites, cælo tua vota probantur,
Angelicisq́; choris candida vita placet.

Ast tibi præcipuè Genitrix castißima Virgo
  Annuit, & custos virginitatis erit:
Hæc manifestabit castæ probitatis honorem,
  Cunctis te mundam crimine scire dabit.
Kunig. Ergo tuo Virgo castissima numine firmor,
  Ignea sit sano subdita pruna pedi.
Noscite nunc proceres falsum affingi mihi crimen,
  Rex Henrice tibi sit mea certa fides.
En vt carbones ardentes calco, recalco,
  Et tangit carnem læsio nulla meam.
Ottho. O Regina rogo supplex ignosce petenti,
  Ne ficto scelus hoc ore venire putet.
Te testor cælum, te terram, testor & aulam,
  Testes sunt Superi, testis & ipse Deus,
Pluribus è nobis iuuenis spectata figura est,
  Cæsareosq́; fuit visus adire thoros.
Kunig. Ne conturberis: scio, sunt hi Dæmonis astus,
  Fallere qui vanâ nititur arte probos.
Ille sibi pulcri iuuenis circumdedit ora,
  Ille palam visus, non mihi visus erat.
Sed torpent eius detracto tegmine fraudes,
  Desperans propriâ victus ab arte iacet.
Quare vos tranquillo animo requiescite quæso,
  Non mens vel minimo est turbine mota mihi.
Henr. Chara Deo Kunigundis, ter gratissima Spōsa,
  Cui testis vitæ Curia celsa Poli est.

Olim sollicitus, lætâ nunc mente quiesco,
Anxius omnis abit corde tremente metus.
Exulto, lætor, pectus mihi gaudia complent,
Dum video cæsos Dæmonas ense suo.
Nec de te certâ hoc scelus vnquam mente putaui,
Spem mihi semper enim pristina vita dabat.
Kunig. *Nūc igitur Domino grates ad templa feramus,*
Cuius in aduersis adfuit aura mihi.

SCENA QVINTA.

BELSEBVB, ASTAROTH, MOLOCH, BAAL, DAGON, &c.

Bels. *Scitis quot nobis Henricus vbique locorum*
Dāna ferat, fidei vt iecit fūdamina Regnis,
Quæ nostris suberant sceptris. Ne longius illa
Procedant, nuper te instructum fraude dolosâ
Misimus, vt praui dispergas semina zeli,
Qui fera coniugibus succendat flamma furorem,
Et toti Imperio veniant dispendia magna:
Nam Regum exemplo Populi componitur ordo.
Dagon. *Arte datâ fueram plusquam fæliciter vsus:*
Successus aderant: nam Rex & nobilis Aula
Obijciunt crimen Reginæ. Protinus Illa
Sumit iudicium, nostras quo subdola fraudes
Dissipet; ardentes prunas (mirabile dictu!)
Nudatis calcat pedibus, nec læsio tangit.

Interea vox cælestis delabitur altò,
Quæ clamat nullo Reginam crimine fœdam.
Mirantur proceres, multum miratur & ipse
Cæsar, & erroris veniam concorditer optant.
Ast ea Primores excusans, crimen ab arte
Nostrâ conflatum dixit. Mox inde Tonanti
Festiuè properant grates ad templa referre.
Quid contrà volumus? Quid nos opponimus vltra?
Illis astra fauent, nec technis cedere nostris
Fas est, quos constat Superorum Numine tutos.
Belseb. *Heu quid ais? Nullis ergo pensarier illa*
Damna dolis poterunt Stygijs illata ruinis?
Siccine torpemus socij? Sicne irrita tela?
Astar. *Cessa, nec frustra curâ vexeris inani.*
Vix vllam dabitur factis adferre medelam
Vulneribus, ni crudelis tollatur ab orbe
Causa mali, & durâ Cæsar sit morte peremptus.
Belseb. *Non modus vllus adest, nec tantũ nostra potestas*
Præsumit. Poteris tamen attentata probare
Si fortasse Deus morbis permitteret illum
Posse premi, tantos quantos inferte dolores.
Illum si fortuna daret concedere fatis!
Et quamuis Cælos peteret; nam præstat vt vnus
Saluetur, potius plures quàm praua relinquant.

CHORVS Sanctorum & Virtutum.

ANGELVS, S. ADRIANVS, LIBERALITAS, S. GEORGIVS, PIETAS, S. LAVRENTIVS, CASTITAS.

Angelus. *COnſonent turbæ celebranda cunctis*
Laude perenni radioſa facta,
Queis velut gemmis rutilis nitore
Cæſar abundat.

S. Adrian. *Si velim plenis numerare verbis,*
Quæ dedit nobis nitidi decoris
Cæſar Henricus, ſatis eſſe centum
Ora nequirent.
En adornauit ſpecioſiori
Gloriâ ſacras mihi largus ædes,
Queis erant turpes, procul inde iuſsis
Sordibus eſſe.

Liberal. *Ecce totius patriæ per oras,*
Vrbs, Domus, Caſtis loca dedicata
Eius extollunt ſibi facta dona
Diuite cornu.
Pauper exultat cumulatus exſtans,
Clauſtra ſe iactant recreata dote,
Et ſibi ſacros Superûm caterua
Laudat honores.

S. Georg. *Nomini noſtro loca conſecrata*
Preſſa ſquallebant pedibus profanis,
Priſtina plebis ſpoliata laude
Tecta gemebant;

Venit Henricus mihi cuncta reddens;
Reddidit templis solitum decorem,
Reddidit nobis solitasq; laudes
Æua per æua.

Pietas. *Quàm piè Christo famulantur ambo,*
Populus quorum pietate gaudet;
Impij quondam, celebri vigore
Templa frequentant.
Ædibus Sacris noua tecta fiunt;
Vrbibus cunctis noua Claustra surgunt;
Virginum crescunt simul & virorum
Candida Castra.

S.Laurent. *Aureâ verè pietate fulgent,*
Nobili fulgent quoque largitate;
Millies illis triplicata cælis
Dona dabuntur.
Splendidas ædes mihi dedicauit,
Queis virûm castas statuit cohortes,
Qui sonent laudes Domino Polorum
Nocte dieq;.

Castitas. *Casta sed virtus reliquis refulgens,*
Luce præcedit radiosiori,
Sicut excellit radijs coruscis
Luna per astra.
Vix fuit visum vt nitidi perennem

Coniuges ſeruent thalami nitorem,
Sicut Henricus, Kunigunda caſtè
Tempora ducunt.
Angelus. *Nobilis gaude Bauarûm propago,*
ImperI ſedes celebris triumphet,
Et procul fuſis fidei per oras
Gaudeat orbis. Cæteri repetunt.
Angelus. *Gaudeant turbæ ſimul Angelorum,*
Virginum caſtæ pariter phalanges,
Regios actus celebrent per æuum
Mundus & aſtra. Cæteri repetunt.

ACTVS IIII.

SCENA PRIMA.

HENRICVS, KVNIGVNDA, OTTHO, &c.

Hē. *Qvàm verè quōdam dixſti Iob Sācte Propheta,*
Multa dies hominum ſine fine replere dolorū,
Morborumq́ genus. Quid enim delectat in orbe
Longius à patriâ cæleſti tramite tardo
Plenum triſtitiæ peregrinos ducere tempus?
O fœlix, fœlix! tecum qui ſorte beatâ
Perpetuò gaudens in cælis Chriſte triumphat.
Kunig. *I fac macte animo & forti ſis chare marite.*
Sicut enim fuluum purgatur in ignibus aurum,
Sic dolor exercet, probat & tribulatio iuſtos.

Clarè teſtatur textu ſcriptura patenti,
Morborum terris patienter ferre dolores
Eſſe Deo gratum: quin Diui certa fauoris
Sunt ſigna, in mundo multos tolerare labores.
Quotquot enim recoles per præuia ſæcula claros
In terris vixiſſe viros, tolerantia fecit
Illuſtres, charoſq; Deo, quoq; præmia ceßit,
Et celebres cælo paßis æquauit honores.
Hen. *Nō mihi deeſt animus, quin mēs quæq; aſpera ferre*
Apta manet. Quòd ſi fuerit Diuina voluntas
Plura pati, patiar: nil poſſet gratius eſſe,
Quàm ſemper mecum fiat tua Chriſte voluntas.
Sed quia fata dolor præcedens, colligo mortis
Aduentare diem: Caßini culmina montis
Nunc igitur petimus, Benedicte tuis ſacra caſtra,
Queis pia turba virûm Domino deuota miniſtrat.
Quare te Benedicte peto, regitare Tonantem
Digneris, ſi viſum eſt morbi augere dolores
Sic placet: ille mihi mortis ſi nuntius adſit
Det famulo vitam felici claudere fine.
Kunig. *Sic Cæſar generoſe tua eſt laudanda voluntas,*
Et ſuperis hæc vota placent, virtutis amantem
Eſſe, pijsque ſuum tempus conſumere rebus,
Velle ſuumque Patris ſubiectum velle Supremi.
Ottho. *Spero Patris ſancti Cæſar mediante rogatu*

Sanus eris: morbique graui cessante dolore
Adiutus precibus Benedicti sospes abibis.
Quid restet dubij? Plures hoc Patre medente
Sunt sani facti, quin ipsâ à morte vocati.
Hen. *Vos ergo Proceres, & te charissima coniunx,*
Vestra peto ad Dominum pro me transmittite vota,
Deuotâq; Patrem Benedictum voce rogetis.

SCENA SECVNDA.
SS. BENEDICTVS & HENRICVS.

Bened. M*Vnera larga Deo, et Superis Hērice tulistis,*
Cælitibusq; viris magnos libastis honores.
Ecqua feret meritis mercedem præmia virtus?
Quid pretij benefacta ferent? Licet aurea cæli
Sedes te maneat, palmæ & rutilantior Astris
Gloria virgineis Superûm sociata choreis:
Attamen in terris æquum est cumularier illa
Gratuitis donis, qui noscat celsa fauere
Astra sibi. Ecce mihi Casino in monte sacratas
Ædes inuisit; magno vexata dolore
Membra premit grandi renes grauidante lapillo.
Cælica mercedem poscunt quæ munera donat:
Ergo vt sim gratus, penitus dabo liber ab acri
Morte, Deum laudans lætanter tecta reposcat.
Est mihi pro meritis gratandi posta voluntas,

Eius enim, munus tantillum, facta merentur.
Vado ergo, & castum corpus stringente dolore
Laxabo, vt solito lætentur membra vigore,
Cognoscatq; Polis mores & vota placere.
Henrice, Henrice audiui tua vota precesq;.
Hæc laudanda placet Cælo constantia mentis,
Et virtus animosa spei, fortisq; ferendi
Vis animi est accepta Deo. En mittor ab alto
Reddere te sanum Cæsar, quî credulus exstes,
Firmatáq; fide noscas hic corporis ossa
Esse sepulta mei; afflicto de rene lapillum
En præsens tollo, proprijs manubusq; repono.
I grates Domino refer, & conare supernæ
Aulæ cælorum gratam magè reddere vitam,
Et quo cœpisti fac eodem tramite pergas.
Henr. Grates Sancte Pater, grates Benedicte Patrone.
O video, video! quantas tenear tibi Præsul
Et laudes donare Deo. Mirum! ecce doloris
Et morbi causam cerno palpóque lapillum.
Non ingratus ero in te, qui diuâ arte medelam
Adfers, sed dona in Gnatos cumulata refundam:
Formosisque tui gemmis ornabo sepulcrum
Corporis, & viuo statuam de marmore celsa
Templa tibi. Benefacta mihi memorabor in æuum
Corde pio, ac te te vitam laudabo per omnem.

SCENA TERTIA.

SS. AVGVSTINVS & BENEDICTVS.

August. SI quisquã nostros vnquã promouit honores,
Et mũdo Superûm solẽnes reddidit actus,
Optima qui populus virtutum exempla secutus
Totum Diuinis studeat se addicere rebus,
Ille est Henricus. Longa est narratio morum
Et sanctæ vitæ, cælis quâ totus inhæret.
En vt turritis surgunt ad sidera tectis,
Quæ mihi magna loco & diti cœnobia fundo
Construxit, Christo & Superis gratissima castra.
Quid multis referam quàm grandia commoda plebi
Hinc veniant? Quantæ fœcundo hoc semine fruges
Excrescunt segetes, gaudent quo fœnore cæli.
Bened. Nec minus ipse pij largissima Cæsaris acta
Laudibus extollo: mihi sacratis noua iecit
Diffuso firmoq; solo fundamina claustris.
Non ego commemoro toti lætissima Regno
Germina virtutum, ipsis quin lætissima Diuis.
Vt primum terris meritorum stipite creta
E mundo vsque Polum mittunt virgulta virorem.
Testis erit raræ pietatis sedulus ardor,
Germani Regni qui latas occupat oras,
Cunctorumq; replet mentes. Sacra turba virorum

Innumeras cælis animas (queis Cæsar es auctor)
Verborum monitu, & morum probitate lucrantur.
Quid procul excurro? Te Henrico nemo per orbem
Sanctis cælitibus templorum plura dicauit.
August. *O quantis Cæsar palmis donabere cælo!*
Te merces cumulata manet; tibi gloria grandis
Sertorum Angelicis manibus super astra paratur,
Candida Virgineis tua sors est iuncta cateruis,
Quod puræ mentis rutilanti lilia fronde
Seruasti, nec virginitas sit passa ruinam.
Quin hæc Martyribus virtus æquabitur: illi
Exterius læsæ tolerant vexamina carnis;
Sed tu perpetuas pateris sine fine molestæ
Insidias Veneris, nec cedens ardua virtus
Laudandam pugnæ tollit sine sanguine palmam.
Bened. *Perge potens Cæsar tantis virtutibus insta;*
Sis pietatis amans, largus, castusq; benignus:
Exemplum reliquis præbe: breue tempus in orbe
Viues, nobiscum felix tollendus ad astra.

SCENA IIII.

HENRICVS, KVNIGVNDA, OTTHO, CAROLVS, &c.

Carol. E*Xcellens Cæsar, latè Germania tota*
Prædicat illustris virtutis splẽdida facta,
Eusè Christiadum quæ protenduntur in orbem.

Cæsareum quicunque olim diadema tulerunt
Imperij, quamuis plures virtute probatâ
Exstiterint clari, nullus tua facta præiuit.
Te solum excipio Carolum, quis Cæsar is vnquam
Nostras Pontificem Romanum aduexit in oras?
In miseros, castasq; domos quis largior alter
Te fuit? Aut Regum Superis quis plura dicauit
Templa, sacras Ædes, aras, cœnobia, claustra,
Pontificum sedes, collegia? Quilibet Ordo
Gaudet ab Henrico multis se dotibus auctum.
En vt Cassini montis sacra turba virorum
Tot tua dona stupet: Sedes Bambergica, tota
Relligiosa phalanx, Cleri populiq; caterua,
Cæsar te celebri tollunt ad sidera laude.
Quid ni longæuos viuendi temporis annos
Concedant Superi? cuius benefacta replerunt
Et terram & cælos.

Henr. Quæ laudas optime Princeps
Cedant illa Deo, per quem mihi facta potestas
Et datus hic animus, Regni quoque sceptra vibranda:
Si dignè volumus Domino seruire supremo,
Nos decet esse pios, largos, virtute nitentes,
Ne tanquam ignaui serui reprobemur ab illo.

Kunig. Illa decent Regem: sic sic charissime coniunx:
Hæc sunt grata Polis, hæc vero Cæsare digna.

Henr. *Me nouus inuasit cupido sub pectore feruor,*
Et noua me pietas mouit loca visere sancta,
Quæ quondam Christus viuens calcauit in orbe,
Queis impleta fuit generis saluatio nostri;
Queis sacer ille cruor perfusus. Dem oscula saltem
Sancta quibus pressit Dominus vestigia terris.
Ku. *O Cæsar! quàm gratus amor Superûm! mihi feruor*
Ille placet, similiq; Deum complector amore,
Et pia mens ardet Solymorum visere tecta.
Ottho. *Audiui plures de sanctâ hâc dicere terrâ,*
Quod cernens illam quamuis quis saxea corda
Gestaret, pietate madent præ fletibus ora:
Sic antiqua mouent passi vestigia Christi.
Kunig. *Verum ne vacui pergamus, dona feramus*
Cæsareas gazas, atque aurea vascula, gemmas,
Et sacras vestes, & picta tapetia, dono
Quæ grato templis venerandis pectore demus.
Henr. *Sic agite; Heliacum cuncti accelerate profectum.*

SCENA QVINTA.

IVSTITIA DIVINA, SS. AVGVSTINVS, BENEDICTVS, LAVRENTIVS, GEORGIVS, ADRIANVS, WOLFGANGVS, ADELBERTVS, Angelus Custos, Castitas, Largitas.

Iustitia. *DEcreuit meritis Henrici Diua potestas*
Pōdere iustitiæ grauido dare præmia cœlis,

Et

Et pia gesta viri rutilis ornare corollis.
Illustres igitur vos qui super astra triumphos
Ducitis, & Domini Proceres gaudetis in Aula,
Virtutumq; chorus, pia pandite Cæsaris acta,
Tam sanctam terris vitam, tot tradita Diuis
Munera, Iustitiæ est eadem condigna referre
Centuplicata Polo, & Superûm decernere sedes.
August. *En sua quiq; ferunt oneratis munera in vlnis,*
Donaq; magna tenent, Superis quæ Cæsar in orbe
Contulit, & celebrem in populo mandauit honorem.
Ipse mihi largus diti cœnobia fundo
Construxit, temploq; insigni & dotibus amplis
Auxit, & huic addens collegia Sacra virorum,
Qui laudes Domino decantent nocte dieq;.
Bene. *Nec minus ampla loco viuo de marmore claustra*
Erexit, plures personas cælibe vitâ
Addidit, vt Domino deuotâ mente ministrent,
Exemplo & verbis cælis animasq; lucrentur.
Laurent. *Ipse mihi pariter sublimibus alta columnis*
Surgere templa dedit, magnoq; altaria sacra
Reddidit ornatu celebres, fecitq; per orbem
Esse pios homines nitidos virtutis honore:
Ac eadem quotquot circumstant munera laudant.
Wolfg. *Ille nouas terris exstruxit diuite dono*

Pontificum ſedes: Chriſti per limina mundi
Effecit florere fidem; Quid dicere multis
Conamur? Quot vixerunt per ſæcula Reges,
Illos Henricus longè præcellit & anteit.
Caſtitas. *Præterea caſtam caſtâ cum coniuge vitam*
Seruauit, nullis maculis candentia flore
Lilia deturpans, mundo ſed pectore viuens.
Angel. *Omnis virtutum ſeries in corde refulget*
Cæſaris Henrici: ſed diui zelus amoris
Maior ei fuerat, nam Chriſto Pannonas ipſos
Addidit, & latè populum dedit eſſe fidelem.
Ac tandem quidquid morum ter ſancta requirit
Vita, id in illius ſummo eſt reperire decore.
Iuſtitia. *Percipio caſtos mores, intelligo ſanctam*
Viuendi normam, præſentia munera cerno
Quæ data Cælitibus, lucrataq; commoda cælis,
Vulgatamq; fidem latè per limina mundi:
Ergo lucra decet condigna rependere factis.
I celer, i, propera, Henrico dic Angele cuſtos,
Mortis adeſſe diem, tempus quo ſidere Diuam
Mercedem, meritasq; ferat ſuper æthera palmas.
O Henrice tibi quàm grandia præmia cælo
Parta manent! Triplici cingam diademate frontem,
Tempora ter dignis ſertis niueisq; corollis,
Qui pius Imperij geſtaſti fronte coronam.

Et quia tot fidei, Superis tot lucra dedisti,
Christo perpetuum fœlix gaudebis in æuum,
Celsaq́ sublimi statuet te gloria sede.

SCENA VI.

ANGELVS Custos, HENRICVS, COMES Palatinus, KVNIGVNDA, CAROLVS, &c.

Ang. *HEu Henrice, Henrice, tuæ pia tempora vitæ*
Attēdit Dominus, meritis decreuit in alto
Reddere condignam palmam, sociabere castis
Virgineo felix æuo super astra Cateruis:
Ergo Dei iussu vitæ tibi nuntio finem.
Henr. *Electi Proceres, & tu Comes Inclyte salue.*
Zodiacos solis currentis circulus orbes
Ferme ter denos compleuit, quo Comes à te
Hanc Gnatam vestram Kunigundam lege iugali
In sponsam accepi. Ast quia nunc præsentio mortis
Aduentare diem, volui Illustrißime Princeps
Te mihi præsentem. Gnatam tibi reddo parenti,
Quæ sponsa est data virgo mihi, tibi reddita virgo est,
Vt soror & frater, sic & nos viximus vnà.
Com. Pal. *Virgineā Cæsar vitam miramur, & almis*
pater Kun. *Splendida decursu toto virtutibus acta.*
Non est qui vidit quemquam moderamina Regni
Vnquam ex Cæsaribus simili pietate regentem.

Virgineam accipio Gnatam cum pectore grato.
Henr. *Corpore deficio, tepido mihi ſanguine vires*
Diſcedunt, date membra parum requieſcere ſede.
Kunig. *Præcellens Cæſar qui mecum tempore toto*
Virgineos duxſti candide ſponſe dies,
Ex illo grates refero, & tibi ſpondeo caſtam
Vitam ſeruabo tempus in omne meum.
En nunc hora venit, dabitur ſuper æthera digno
Virginitatis honos, Cæſareumq́ decus:
Palmæ, cæleſtes ſedes, & ſerta ferentur,
Sanctæ queis vitæ tempore dignus eras.
O vtinam ad cælos mors hinc nos tolleret vnà,
Quos vnà caſtus conſociauit amor!
Sed quia te voluit Dominus reuocare priorem,
Macte animo Superos Virgóque ſponſe pete.
Splendida Sanctorum in cælis te turba moratur,
Centuplicata ferent quæ data dona ſibi:
Te nunc Angelicæ exſpectant ſuper aſtra cateruæ,
Te bona Virgo parens, te ſimul vna Trias.
Henr. *Sic ſpero, & pro me Dominũ Kunigũda precare,*
Det ſperata mihi præmia ferre polo.
Carol. *Lugeat Imperium, tellus Germanica luge,*
Cæſare quæ Henrico deſtituenda pio es.
Heu vbinam ſimilis dabitur moderator in orbe!
Imperium tantâ qui pietate regat?

Flete ſenes, iuuenes, fleat & ſacra turba virorum,
Omnibus ex imo triſtia corde ſonent.
Henr. *Ceſſetis proceres, queruloſos ſiſtite planctus,*
Triſtia nec mœſto pectora verba date:
Omnipotens Dominus, qui dirigit omnia terris,
Digno Auguſta dabit ſceptra vibranda viro.
Omnia ſcripta iacent chartis ſignata ſigillo
Noſtro, quæ fieri poſt mea fata velim.
Larga peto miſeris & templis munera fiant,
Bambergenſi Ædi corpus opesque date.
Nunc inferte igitur thalamo morientia membra,
Sentio non longum tempus adeſſe mihi:
Vt tempeſtiuè mentis ſecreta reuoluam,
Et ſacro recreer corpore Chriſte tuo.
Soluar corporeo hoc mortalis carcere carnis,
Et tecum ad cælos Chriſte benigne ferar.
Hâc mihi nunc horâ mortis ſuccurrite Sancti,
Angelicæ turbæ, Virgoque caſta parens.
Vox cæl. *Ne dubites Henrice Polis chariſsime fili,*
Te merces Superis magna parata manet.
Ne timeas, pellam Stygiâ cum fraude ſathanas,
Angelicos enſes ſubſidioque dabo.
Ecce phalanx cinget morientis cælica ſtratum,
Virgineisque choris te ſociabit ouans.

SCENA SEPTIMA.

DÆMONES, EREMITA ET ANGELVS.

Dag. HEu Stygij socij celeri quin pergimus ausu?
Quæ mora nos tam lenta tenet? Nescitis
Henricus Cæsar languet, mortiq; propinquat? (Vt ille
Pergamus si quid lucri fortasse feratur.
Erem. Quæ sese obijciunt oculis phantasmata nostris!
Siste gradum maledicte Sathan: quò pergere tentas?
Quæ tibi causa viæ?
Dagon. Henrici properamus ad Aulam,
Qui iacet ægroto moribundus corpore lecto.
Nitemur prauis quidquam conatibus illum
Vexare, vt Stygios nobiscum detur ad ignes.
Eremita. Quid de tam sancto præsumere perfide praui
Audes? Quid nequam? quæ te malesana cupido
Exagitat? frustra moliris damna parare
Illi, qui feruore Deo per tempora vitæ
Tanto seruiuit: satius tua Tartara posce,
Nam vacuo vanos intendes fine labores.
Dagon. Ignoras fraudes nostras astusq; dolosos,
Quàm teneant generis diuersi tela pharetræ.
Quin speraremus? legio mecum integra tendit,
Quæ paribus fraudum fallendi instructa sagittis,
Sed tempus celerare iubet.

Eremita. *Te nomine Christi*
Adiuro, vt rediens illinc mihi gesta reportes,
Quidq; actum fuerit: te illo remorabor in antro.
Dagon. *Sic faciam. En posuit morientia mēbra cubili.*
Respice vt ex imo mittat suspiria corde!
Nunc orat; nunc sacra pio sub pectore voluit.
Huc socij, conemur eum probitate superbum
Reddere, qui moriens turpi se crimine fœdet.
Heu Henrice tibi debentur regna Polorum:
Ter bene vixisti, nullus te sanctior astris
Exstat: quid frustra precibus tua membra fatigas?
Angel. *Inde procul Dæmon, tua nil suggestio prodest.*
Dagon. *Frendo, furo, moueorq; accendor totus ab ira*
Quod nullam de te vindictam sumere possim.
Frustra vexamur socij, repedamus ad orcum.
Eremita. *Confuso video redeuntem Dæmona gressu.*
Quare tam subitò liquisti Cæsaris Aulam?
Quid fuit effectum?
Dagon. *Damno nostro iuimus illuc:*
Stabant Angelicæ, stabant Superûmq; phalanges,
Et mixto Henrici cingentes ordine stratum
Expectant, donec punctum morientis adesset.
Mox egressa anima est summo delata Tonanti,
Pro meritisq; Polo fruitur mercede perenni.
Nam Superûm quotquot supremo Iudice coram

Munera multa dabant, ornatus, templa, ſacella,
Aras, ſacratas ædes, cænobia, clauſtra,
Et quæcunque Sacris viuens aliisq; dediſſet,
Pondo ingens aliâ ponebant parte bilancis.
Præ reliquis vſtus Martyr dabat aurea gemmis
Pocula, quæ dextram nimio præ pondere partem
Flectunt. Nos crimen reperire nequiuimus vllum
Quod libræ oppoſitâ poſſemus parte locare.
Irâ ſuccenſus comprendens pocula frango,
Auremq; auulſi: gladiis mox pellimur inde
Angelicis manibus: ſed Cæſar fertur ad aſtra,
Aligerûm, circà glomerant Superûmq; cateruæ.
Heu quòd nulla Stygi poſſimus lucra referre!
Eremita. *I maledicte Sathan triſtes deuoluere in ignes,*
Sic deceptus abi: legio tecum licet adſit
Vt dicis, nunquam poteris deuincere Chriſti
Seruos, illi etenim ſancto ſunt Numine tuto:
Verum te rogito felix Henrice, Tonantem
Pro me poſce tuis precibus: qui ſplendidus altò
Inter Cælicolas ciues per ſæcula gaudes,
Nos tibi deuotos famulos dignere iuuare,
Vt terris fauſtè tranſacto temporis æuo
Poſt mortem tecum læti ſuper aſtra feramur.

AMEN.

ACTVS

ACTVS V.

Sequuntur miracula ex multis pauca.

SCENA PRIMA.

Quidam habens aridum brachium ſanatur.

PRæ reliquis quidã miſerâ quàm ſorte premuntur
Viuentes mundo, morbis vexantur, & acri,
Per totam ferme vitam languore tenentur.
En ego qui ſanos vix duxi temporis annos,
Noſtram fœlici miſeram dum comparo ſortem,
Optarem potius per mortem tollar ab orbe,
Quàm longo tantis cruciari tempore pœnis.
Heu quantum doleo! totos paralyticus artus
Dudum detinuit morbus: vix corpore ſiſto;
Genua labant, nimio quatiuntur membra tremore.
Ecquò confugiam? quod conſolamen adibo?
A quo ſubſidium quæram? cognoſco leuamen
Quod Deus inſpiras: Henrici ſancta ſepulcra
Poſcam, eius meritis donandam ſpero medelam.
O fælix Henrice, pium qui temporis æuum
Duxiſti, lætus qui nunc ſuper aſtra triumphas.
Viuentis quondam tantum pietatis amorem
Experti fuimus, cuius nunc maior in alto
Eſt virtus, precibus miſero concede iuuamen.
O benedicte Deus meritò laudandus in æuum,
Qui per cæleſtes præſens operaris amicos.

En abijt morbi dolor ! ô Sanctissime Cæsar,
Qui famulum cælo dignans audire precantem !
Grates Christe tibi, grates tibi Sancte Patrone.

SCENA SECVNDA.

Cæcus visum recipit.

Cæcus. *QVæso me ad Hērici digneris ducere tumbam,*
Qui clarus signis Domino donante coruscat.
Credo quòd illius meritis mea lumina visum
Accipient.
Ductor. *Faciam. Ingredimur sacra limina templi;*
Corpore prostrato debes ex pectore toto
Sanctum deuotè rogitare.
Cæcus. *Pijssime Cæsar,*
Deuoto te corde precor dignare rogantem
Exaudire, polis etenim ter magna potestas
Est concessa tibi : famulo concedere visum
Dignare, vt celebris fiat tua gloria plebi.
En video : grates magnas tibi Sancte rependo.
Deuotus tibi semper ero, mihi gratia facta
Germani latis Regni vulgabitur oris.
Ductor. *Henricus nostro nunquam de corde recedet.*

SCENA III.

Quidam serpendo gradiens erigitur.

QVàm me prô miserum ! nimiùm contraria fata

Excruciant! duplici intolerandâ sorte coarctor.
Me grauis angor habet, premit & me turpis egestas.
Languenti toto contractis corpore neruis
Vix magno possum protrudere membra labore.
Si tantilla foret saltem mihi copia rerum,
Nec serpendo miser deberem quærere victum,
Vel manus apta foret quidquam tractando lucrari,
Non ita conquererer: verùm sperare iubemur
Henrici sanctis precibus mihi corporis artus
Reddendos sanos. Igitur me corde fideli
Extemplò ad sacrum statui conferre sepulchrum.
Obnixè posco miserorum sancte Patrone
Ad me sic miserè afflictum tua lumina flecte:
Spondeo cùm celebris vestri processio fiet,
Nudatis pedibus populo spectante per vrbem
Me comitem iungam, & vestri memorabor in omne
Vitæ tempus. Agi contracta per ossa calorem
Sentio: firmanturq́; pedes, languorq́; recedit:
Crura nouum robur capiunt: sto corpore sanus.
O Deus omnipotens per Sanctos grandia præstans,
Qui clarum signis Henricum reddis in orbe,
Gratus ero: quæ vota dedi, completa dabuntur,
Et foret Henrici nobis venerabile nomen.

SCENA QVARTA.

Quidam fulcris innitens vigori membrorum restituitur.

HEnrice exaudito preces, & vota rogantis
Sancte Dei pro me misero dignare Tonantem
Poscere, qui sano tribuat mihi corpore membra,
Multa tuum Cæsar plebs est experta iuuamen.
Fac tua me laudare simul miracula posse.
Cruribus en firmis sisto! Grates tibi Sancte
Ingentes refero dignans audire misellum:
Fiet per totum celebris data gratia Regnum.
Ad sacrum tumulum pro signis fulcra repono.

SCENA QVINTA.

Quædam vehiculo protrusa pedes domum redit.

O Me prô tribulis cruciatam mille dolorum!
Heu quando dabitur tranquillus finis earum
Quas patior pœnas? Requies vix nocte dieq;
Vlla datur, sic per totius corporis artus
Affligor. Verùm Diuino numine mota
Ad sancti Henrici tumulum si supplice voto
Eius subsidium contendam, extemplo sequetur
Plena salus. Igitur sanctas protrudar ad aras.
O Henrice Deo summo qui gratus amicus,
Cernas afflictam famulam, miserere dolentis.

Quid remorare? potens etenim mihi munera ferre
Quæ posco: tantum Dominum digncre rogare
Pro me, non dubito concedet vota petentis.
Spondeo quando diem tibi sacram aduexerit annus,
Illa per octauam ritu festiua celebri
Nobis semper erit. Penitus me corpore sanam
Sentio, me pedibusq; reor consistere posse.
O laudande Deus! clemens Henrice patrone,
Tam citò commotus famulæ pietate rogantis.
Polliceor mihi semper eris venerabilis omni
Vitæ decursu: cunctos celebrabo per annos
Octo solenni ritu tua festa diebus:
Grato corde tibi semper deuota manebo.

SCENA SEXTA.

Ductor, Obsessus, & Dæmon.

Ductor. *SIue diurna solo spargat sua limina Phœbus;*
Seu noctis radiis illustret Luna tenebras,
Vexor, & ingentes cogor perferre labores
Hoc fratris casu tentatus. Nescio qualis
Spiritus hunc agitet: medius quandoque per ignem
Labitur, & tumidis quandoque immergitur vndis:
Illi me idcirco custodem ponere cogor,
Ne vitam perdat fallaci dæmonis astu.
Postquam tot mediis vsus, nec plenior ægro

Est allata salus, nec cessit corpore dæmon,
Ignoro quem velle modum: suasere sodales
Cæsaris Henrici sacratam poscere tumbam,
Quem si sollicitè deuotâ mente rogaro,
Laturum auxilium. Cæsar ter sancte Patrone
O Henrice, pius te te poscentibus adsis.
Huic misero fer opem: teter fac spiritus ille
Corpore discedens, tutum à vexamine linquat.
Dæmõ. *Heu nequã Hẽrice heu! tibi non suffecerat olim*
Tot damna ingessisse Stygi, quin mortuus illa
Multiplices? nusquam securi possumus esse.
Obses. liber. *Grates immẽsas agimus pro munere tanto;*
Perpetuò fidos promittimus esse ministros.

SCENA VII.

Ecclesiasticus quidam cæcus à S. VVolfgango monitus ad sepulchrum S. Henrici illuminatur.

Cæcus. *O Sacrate Pater VVolfgange, ter optime præsul,*
Et vos Sanctorum reliqui, quos tempore vitæ
Deuotè colui, si quid placuere precantis
Vota polis, misero priuato lumine vtroque
Subsidium conferte rogo; date munera vestra
Nobilius laudare queam: dissoluite vincla,
Quæ densis laqueis oculorum lumina sistunt.
Wolfg. *En adsum præsens humili quem voce precatus*
Præsul VVolfgangus. Cælis gratissima vota

Sunt equidem quæ sæpe refers: ast vnica culpa
Displicet Astrorum Domino, non credulus exstans
Quæ meritis Sancti Henrici miracula fiunt.
Ergo qui dubiæ menti correctio detur,
Hanc misit plagam: si te mox inde solutam
Esse velis, adeas Henrici suadeo tumbam,
Et decus ablati Sancto reddatur honoris.
Cæcus. Cognosco VVolfgange tuum cognosco fauorem:
Me iustò carpis, fateor me criminis huius
Esse reum: quondam dubius malè credere signis
Henrici cœpi, veniam pro crimine poscam.
Ad sacram tumbam ducar. Sanctissime Cæsar
Henrice, ecce tibi sistor, qui turpiter ausus
Signa notare, quibus Domino donante coruscas.
Commissam fateor culpam, mihi displicet: ergo
Digneris famulo poscenti ferre medelam,
Et tua cum reliquis gratis promitto perennè
Laudibus, expertus virtutem, prosequar acta.
O ter Sancte Tonans! Henrice potentis in astris
Exstas virtutis video, nec posse negari,
Edoctus proprio & nostratis munere Gentis:
En oculis soliti visus mihi pristina reddis
Lumina: quæ dubiæ fidei mens abstulit ante,
Hæc reddit mens recta mihi. Promitto per omnes
Hæc tua Sancte Dei virtus vulgabitur oras.

Semper honos, nomenq́; tuum, laudesq́; vigebunt,
Et tua gesta feret populus lætanter ad astra.

EPILOGVS.

EXcellens & celse Comes, vos Ciuica turba,
Quæ teneris sancti metris de Cæsaris actis
Vobis Tungrorum pandit studiosa Iuuentus,
Sint indigna licet doctâ capiantur vt aure,
Non humilis vatis genius, sed quæsumus ardor
Mentis spectetur: cuius pia gratia præstet,
Vt placeat quidquid grato de pectore prodit.
Vidistis Sancti Henrici probitate nitentem
Virgineam vitam; reliquos actusq́; stupetis
Virtutum, per quos fœlici morte recedens
Æternas cælis meruit gestare coronas.
Nec dubito tacitè quin Sancto applauditis omnes
Quas celebris rutilas replet super æthera sedes,
Et sibi quisque pares optat: fac par quoque virtus
Vos ornet, mores eiusque referre studete,
Optatum dabitur; transacto hoc tempore vitæ,
Vnà vt cum Henrico Domino super astra fruamur.
Sic vobis optamus, & Heros Inclyte vobis.

Cecini.

Z

73

